



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Arnoldi Corvini à Belderen J. U. D. Jus Canonicum, Per Aphorismos Strictim Explicatum

Corvinus van Beldern, Arnold

Amstelodami, 1663

Clerico non ordinato ministrante.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10591

currunt: incurrunt, si ea sit supina; dispensatione tamen Pontificis eâ liberantur. *c. illud. 5. c. Apostolica. 9. hic.*

De Clerico non ordinato ministrante.

TIT. XXXVI.

Secunda causa est, *si Clericus non sit ordinatus.*

Is si nihilominus ministerium ordinis, quem non consecutus, exsequatur; ab Ecclesia dejicitur, & nunquam ordinatur. *c. 1. hic.*

Sic qui Diaconus tantum est, si Missam celebravit, ad sacerdotium, sine dispensatione, *Gloss. ad. c. fin. verb. promoveri. eod.* non promovetur, & à Diaconatu ad tempus suspenditur; sed in beneficio, si habet, ad tempus dispensari poterit, ne sustentatione privatus, ad seculi negotia revertatur. *d. c. fin. eod.*

Ob quam rationem etiam ob homicidium ab officio suspenso beneficium reservatur. *c. studeat. 39. dist. 50. c. Presbyterum. dist. 28.*

De Clerico per saltum promot.

TIT. XXXVII.

Tertia causa est, *si Clericus non gradatim, sed per saltum*, id est, à minori ad majorem omisso medio: ut ad Diaconatum ante Subdiaconatum, Presbyteratum ante Diaconatum, *sit promotus.*

Quæ ordinatio non valet; Undè si scienter promotus ministrat, ut Clericus qui non ordinatus ministravit, punitur: Si ignoranter, suspenditur ab executione suscepti, donec peractâ pœnitentiâ ad omissum fuerit ordinatus. *c. un. hic. c. unico. dist. 52.*

Quæ pœnitentia censetur arbitraria; quia jure non definita. *c. non satis. de offic. deleg.*

Dixi *ab executione suscepti*; quia ordo, ab eo qui ordinandi potestatem habet, quomodocunque sive per gradum, sive